

Theodericus dei gracia episcopus Missnensis —. Si nos —. Hac igitur ratione permotus providus Nickel Steinhart oppidanus oppidi Fribergk —, cupiens — singulis sextis feriis per anni circulum in ecclesia sancti Nicolai in Fribergk missam de sancta cruce decantari cum risponsorio Tenebre facto silencio, tres sexagenas cum triginta grossis pro plebano capellano ac ministro ecclesie et insuper quinquaginta grossos pro vitricis ecclesie *deputandos^a) annuorum reddituum justo ac legitimo reempcionis pacto, quamlibet videlicet pro viginti sexagenis grossorum clipeatorum Fribergensium monete currentis, in et super bonis et possessionibus oppidi Dobelin ac certis aliis comparatorum, prout in litteris desuper confectis lacius continetur, nobis cum ea, qua decuit, reverencia presentavit affectuosius rogans, quatenus census hujusmodi suscipere, eos ecclesiasticis juribus annumerare ac incorporare utque privilegiis et libertatibus ecclesiasticis gaudere valeant auctoritate nostra decernere dignaremur. Nos igitur — accedente nobis consensu discreti viri domini Pauli Pretatzs plebani ejusdem ecclesie census predictos — auctoritate nostra ordinaria deo sanctimus —. Volumus autem et statuimus, ut plebanus seu rector ecclesie parochialis, qui pro tempore fuerit, singulis sextis feriis per anni circulum, nisi festum merito festivandum interveniat, quo casu priori die id fieri volumus, missam de sancta cruce domini cantandam procuret citra prejudicium missarum, ad quas plebanus alias obligatus dinoscitur —. Insuper volumus, ut per eundem rectorem ac suos capellanos sextis feriis per anni circulum non obstantibus festivitatibus quibuscumque dempto tamen die parasceves — risponsorium Tenebre facte sunt sub elevacione corporis domini summe misse voce devota ac lugubri decantetur ac cum versiculo proprio filio ac collecta Respice campanis medio tempore sonantibus concludatur. Statuimus autem, [ut] de censibus predictis trium sexagenarum ac triginta grossorum ex capellanis duobus, qui pro tempore fuerint, quos ad interessendum misse ac decantacionem predicti risponsorii obligati volumus, quisque annis singulis grossos viginti quatuor habeat de missa risponsorio ac collecta supra dictis. Custos vero ecclesie, ut pulsum fieri disponat eorumque in cantu tam misse quam risponsorii coadjuvet, triginta, vitrici autem ecclesie pro eo, quod census omnes et singulos una cum auxilio plebani colligant et erogent et summas capitales, si quando reempcionis pacto provenerint, una cum auxilio ejusdem plebani, quem ad hoc obligari volumus, in alios census rationabiles convertant, luminaria insuper et alia quoque, que necessaria fuerint, subministrare habeant, grossos quinquaginta optineant in aliis suis litteris comprehensos, apud quos eciam litteras contractuum et confirmationum remanere volumus, data tamen plebano copia dum eam poposcerit legitime auscultata. Nos etenim — omnibus et singulis confessis et contritis, qui vel misse predictae vel cantico risponsorii Tenebre facte sunt interfuerint et sub pausa, quam in medio risponsorii post verbum Emisit spiritum fieri volumus, semel oracionem dominicam cum salutacione angelica cum symbolo oraverint aut cantando adjuverint seu qui laboribus aliisve impedimentis justis impediti extra locum decantacionis constituti, dum pulsus fit, oraciones predictas in genua provoluti oraverint, quadraginta indulgenciarum dies de

341. a) deputandis.